RECENS REPERTUM LYCURGI *ψήφισμα* EMENDATUM.

Effossa nuperrime est Athenis *ϛήλη*, in qua Lycurgi *ψήφισμα* inscriptum est. Marmor satis integrum esse narratur; lacunas quae insunt explevit Atheniensis Pittacis, ex cuius apographo Lycurgi *ψήφισμα* editum est Parisiis a viro doctissimo Egger, et repetitum in Belgio dans la *Revue de l'Instruction Publique en Belgique* Novembre 1860. p. 540. Iuvat ex illo monumento unum et alterum turpius mendum eximere a Pittacisio invectum, in quo viro probabilem linguae Atticae veteris cognitionem vehementer desideramus.

Pars decreti potior his verbis concepta est: *Ἔδοξεν τῷ δήμῳ. Λυκοῦργος Λυκόφρονος Βουτάδης εἶπεν. Ἐπειδὴ Εὔδημος πρότερόν τε ἐπήγγειλεν τῷ δήμῳ ἐπιδώσειν εἰς τὸν πόλεμον εἴτι δέοιτο* (XXX) *δραχμὰς καὶ νῦν (ἐπ)έ(δοτ)ο εἰς τὴν ποίησιν τοῦ ϛαδίου καὶ τοῦ θεάτρου τοῦ Παναθηναϊκοῦ χίλια ζεύγη καὶ ταῦτα πέπομφεν ἅπαντα πρὸ Παναθηναίων καθ' ἃ ὑπεσ(χέθη), δεδόχθαι τῷ δήμῳ ἐπαινέσαι Εὔδημον κτέ.* Turpe est inducere Lycurgum ita dicentem *ἐπέδοτο — χίλια ζεύγη*, et *καθ' ἃ ὑπεσχέθη*. Quis enim paulo doctior nescit *ἐπιδιδόναι* Graecum esse, sed *ἐπιδίδοσθαι* barbarum? Similiter *ὑποσχέσθαι* Graecum est, *ὑποσχεθῆναι* non est. Quod in marmore superest: **ϵ****ΟϵΙϹΤΗΝΠΟΙΗϹΙΝ, et ΚΑΘΑΤΠϵϹ****, manifesto apparet sic expleri oportere: *καὶ νῦν (ὑπ)έ(σχετ)ο εἰς τὴν ποίησιν*, et *καθ' ἃ ὑπέσ(χετο)*. Arcte coniuncta fuerunt inter se *πρότερόν τε ἐπήγγειλεν τῷ δήμῳ ἐπιδώσειν* et *καὶ νῦν ὑπέσχετο*, quibus in sqq. respondent: *καὶ ταῦτα πέπομφεν ἅπαντα* (id est *τάς τε τρισχιλίας δραχμὰς καὶ τὰ χίλια ζεύγη*) *πρὸ Παναθηναίων, καθ' ἃ ὑπέσχετο.*

Multo etiam graviorem errorem commissum esse video in primoribus decreti verbis hisce: *Ἐπὶ Ἀριϛοφῶντος ἄρχοντος, ἐπὶ τῆς Λεοντίδος ἐνάτης πρυτανείας, ᾗ Ἀντίδωρος — ἐγραμμάτευεν, ἕ(νῃ καὶ πρώ)τῃ Θαργηλιῶνος, ἐνάτῃ καὶ δεκάτῃ τῆς πρυτανείας.* Miror quomodo absurdum hoc supplementum *ἕνῃ καὶ πρώτῃ* doctis hominibus in Gallia et Belgio imponere potuerit, qui bona fide verterunt: *le premier jour du mois de*

Thargélion, quasi vero ἕνη καὶ πρώτη Graeca esset oratio aut quidquam significaret. Sed salva res est, nam nullo negotio reperiri verus diei numerus potest, quia eundem diem constat fuisse τῆς ἐνάτης πρυτανείας τὴν ἐνάτην καὶ δεκάτην. Nempe *nonae prytaniae dies primus* incidebat in diem *decimum octavum mensis Munychionis* (vide Clinton. Fast. Hellen. II. p. 347), itaque *decimus nonus* dies incidisse debet in diem *sextum mensis Thargelionis* et apparet sic suppleri oportere ἕ(κτ)η Θαργηλιῶνος.

Praeterea supplevi τρισχιλίας (XXX) ante δραχμάς.

C. G. Cobet.

EPHORI LOCUS CORRECTUS.

Ephorus antiquissimam historiae Graecorum partem expositurus, *res vetustate nimia obscuras velut quae magno ex intervallo loci vix cernuntur* (ut loquitur in tali re Livius VI. 1), in praefatione operis posuit hanc sententiam apud Harpocrationem in v. Ἀρχαίως servatam: Περὶ μὲν γὰρ τῶν καθ' ἡμᾶς γεγενημένων τοὺς ἀκριβέστατα λέγοντας πιστοτάτους ἡγούμεθα, περὶ δὲ τῶν παλαιῶν τοὺς οὕτω διεξιόντας ἀπιθανωτάτους νομίζομεν, ὑπολαμβάνοντες οὔτε τὰς πράξεις ἁπάσας οὔτε τῶν λόγων τοὺς πλείστους εἰκὸς εἶναι διαμνημονεύεσθαι διὰ τοσούτων. In ultimis verbis vitium est. Docti homines opinantur διὰ τοσούτων significare *tam copiose*, quemadmodum διὰ βραχυτάτων et similia dicuntur. Sed ita neque apta sententia exit et confunduntur μνημονεύεσθαι et διαμνημονεύεσθαι. Ephorus scripserat: διαμνημονεύεσθαι διὰ τοσούτων ἐτῶν. Homines non facile credunt rerum vetustarum memoriam *post tot annos* servari et exstare posse. Διά eo sensu saepe ponitur. Ephori magister Isocrates in Archidamo § 21 dixit: (τὴν Μεσσήνην) διὰ τετρακοσίων ἐτῶν μέλλουσι κατοικίζειν, similiterque alii. Cur ἐτῶν exciderit manifestum est.

C. G. Cobet.